

blicæ accepti, ac erga eandem fidissimi, in militia, & in magistratibus, primis honoribus adornentur.

Anno U. C. 563. Coss. Pub. Cornelio Scipione Nasica, & M. Attilio Gabione, in exercitu Militum, quem contra Regem Antiochum Romani collegerunt, Legio secunda ex Brutiis, Siculis, Sardis, & Hispanis, compacta dicebatur. Apud Livium lib. 35. c. 57. hæc leguntur: *Igitur de Provinciis Prætorum decretum est, primo ut sortis secundæ, peregrinæ, urbanæque, inter cives & peregrinos jurisdictio esset, secundo Brutiis; tertio classi ut navigaret quo Senatus censuisset; quarto Sicilia; quinto Sardini; sexto Hispania ulterior.*

Anno postmodum subsequente, Cajus Livius, maritimæ Classis Præfectus, contra eundem Regem Antiochum arma dirigens, naves, & milites ex Brutiis accersivit. Qui quidem ex Rhegio & Locri missi, in Romano exercitu cum laude militarunt. A Flore citatur Livius dec. 4. lib. 36. c. 44.

Anno etiam U. C. 551. post Hannibalis discessum ab Italia, Manlius, Turinus, primus Ædilis Romanæ Plebis fuit; postmodum Prætor, an. 554. Quintus Minutius, Turinus, primus Ædilis Curulus, an. 553. & deinde Triumvirum unus ad Colonias deducendas, an. 556. Lucius, Temefanus, Romæ Prætor, an. 565., Lucinus Rheginus, Tribunus Plebis; Cajus Antonius, Rheginus etiam, Julii Cæsaris Legatus in Galliis, cujus ipsemet Cæsar lib. 6. de bello gallico in principio meminit. Horum omnium catalogum construunt Barrius lib. 1. f. 52., & Marafioti lib. 5. f. 306.

Accedunt his Vilius, Hipponensis, in M. Tullii Ciceronis Consulatu, factus Ædilis Plebis; Voltur-nius, Crotonensis, Lentuli Legatus ad Allobrogos; Præsitateles, Pompeji M. tempore, ob artis suæ excel-
len-